Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36643
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

97r

desudant in renibus, quia liquor veneris a renibus calore venereo solutus decurrit. Lumbi ob libidinis lasciviam dicti, quia in viris causa corporee voluptatis in ipsis est, sicut in umbilico feminis. Unde et ad Iob in exordio sermonis dictum est: Accinge sicut vir lumbos tuos, ut esset (in his) resistendi preparatio, in quibus libidinis est usitata dominandi occasio. Umbilicus est medius locus corporis, dictus quod sit umbo iliorum. Unde et umbo appellatur locus in medio clipei a quo pendet. Ex eo enim infans in utero pendet, ex eo et nutritur. Ilium Greco sermone appellatum, quod ibi nos obvolvamur. Grece enim ilios obvolvere dicitur. Clunes vocate quia sunt iuxta colum quod est longanon. Nates quod in ipsis innitamur dum sedemus. Unde et conglobata est in eis caro, ne premente corporis mole ossa dolerent. Genitalia corporis partes, ut nomine ipso docet, gignendi sobolis acceperunt vocabulum, quod his procreatur et gignitur. Hec et pudenda, pro verecundia sive a pube. Unde et indumento operiuntur. Dicuntur autem ista et inhonesta, quia non habent eam speciem decoris sicut membra que in promptu locata sunt. Idem et veretrum, quia viri est tantum, sive quod ex eo virus emittitur. Nam virus proprie dicitur amor fluens a natura viri. Testiculi per diminutionem a testibus dicti, quorum numerus incipit a duobus. Hi semen calamo ministrant, quod a spine medulla et renes et lumbi suscipiunt ad gratiam procreandi. Viscus est pellis in qua testiculi sunt. Posteriora vero vocata, quod retro sunt et a vultu aversa, ne dum alvum purgamus inquinaremus aspectum. Meatus inde appellatur, quia per eum manant, id est egeruntur, stercora. Femora dicta sunt quod ea parte a femina sexus viri discrepet. Sunt autem ab inguinibus usque ad genua. Femina autem per derivationem femorum partes sunt, quibus in equitando tergis equorum adheremus. Unde et preliatores olim sub feminibus equos amisisse dicebantur. Coxe quasi coniuncte axes; in ipsis enim femora moventur. Quorum concava vertebra vocantur, quia in eis capita femorum vertuntur. Suffragines quia subtus franguntur, id est flectuntur, non superius sicut in brachiis. Genua sunt commissiones femorum et crurum. Et dicta genua eo quod in utero genis sint opposita. Coherent enim ibi sibi et cognata sunt oculis, lacrimarum indicibus misericordie. Nam a genis genua dicuntur. Denique complicatum gigni formarique hominem, ita ut genua sursum sint, quibus oculi formantur, ut cavi ac reconditi fiant. Ennius: atque genua comprimit arta gena. Inde est quod homines dum ad genua se prosternunt statim lacrimantur. Voluit enim eos natura uterum maternum rememorare, ubi quasi in tenebris consedebant antequam venirent ad lucem. Crura dicta quia in his currimus et gressum facimus. Sunt autem sub genibus usque ad suras. Tibie vocate quasi tube; sunt enim et longitudine et latitudine [specie similes, written above the line]. Talus dictus a talo; nam tolus est eminens rotunditas. Unde et fastigium templi rotundi tolus vocatur. Talus autem sub crura est, sub talo calcanei. Pedes ex greca ethimologia nomen sortiti sunt. Hos enim greci podas dicunt, quia alternis motibus solo fixi incedunt. Plante a planicie nuncupate, quia non rotunde ut in quadrupedibus, ne stare non posset bipes homo, sed plane atque longiores formate sunt, ut stabile corpus efficerent. Sunt autem plante anteriores partes, que ex multis ossibus constat. Calcis prima pars plante, a callo illi nomen impositum, quo terram calcamus. Hinc et calcaneus. Solum inferior pars pedis, dictum quia eo terre vestigia imprimimus. Sed et solum dicitur omne quod aliquid sustinet, quasi solidum. Unde et terram solum, quod cuncta sustineat, et solum pedis, quod totam corporis molem portat. Viscera non tantum intestina dicimus, sed quicquid sub corio est, ab eo quod vi inter cutem et carnem. Item viscera vitalia, id est circumfusa cordis loca, quasi viscora, eo quod ibi vita, id est anima, contineatur. Item viscera capita nervorum ex sanguine et nervis copulata. Eadem lacerti sive musculi. Quia sic in singulis membris cordis loco sunt, ut cor in medio toti corporis parte appellantur, [illegible]